

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

FABIS COFFEE,

EARUMQUE
SUB INFUSO USU ET ABUSU,
QUAM


DIRIGENTE DIVINA CLEMENTIA AC GRATIA,
RECTORE UNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
*VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO,*

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNAT. DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MÖGUNT. CONSIL. ECCLESIAS. HJVSDEM.
*QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;
INCLYTA FACULTATE MEDICA*

ALMÆ AC PER-ANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
GRATIOSE ANNVENTE,
PRÆSIDE

24
DN. D. HIERONYMO  Rudolfi
EMINENTISS. ELECT. MÖGUNT. CONSIL. ET ARCHIATR. FACULT. MEDICÆ
AC PHILOS. ASSESSORE ORDINARIO, hujusdemque p. t. DECANO, n. n.
CHTMIAE ET MATHEM. PROF. PUBL.

*DNO PATRONO, PROMOTORE ET PRÆCEPTORE SUO COLEN-
DISSIMO,*

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA

LEGITIME CAPESSENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVVSITIONI SUBJICIET

DAVID GOTTLOB HEROLD, Hertzberg-Saxo.
AUCTOR ET RESPONDENS.

DIE XVI. MARTII, ANNO MDCCXXIV.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSUE.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



VIRIS
Prænobilissimis, Excellentissimis, Amplis-
simis, Consultissimis, Prudentissimis

Dominis

D O M I N I S
PER ANTIQVÆ CIVITATIS CYGNEÆ,
CONSULIBUS,
SYNDICIS,
PRÆTORIBUS,
à **SECRETIORIBUS,**
CÆTERISQUE
SENATORIBUS GRAVISSIMIS

Dominis, Patronis, Fautoribus & respectivè Cognatis
atque Adfinibus meis

Omni observantiæ cultu devenerandis

Dissertationem hanc Inauguralem

D. D. D.

AUTOR:





PR O Æ M I V M.



Uit perpetuo animus noster in nova, exotica atque peregrina, sive estimatione male fundata, sive imaginatione perversa sub grati saporis exquisita specie, aut consuetudinis saltem incitamento. Neque hoc novum est, aut nostri potius seculi gloriosum desiderium; siquidem à mundi quasi primordiis ea exoticorum orexis, ut ita loquar, viguit, claruit & undique & undique migrantibus hinc inde populis sese disseminare cepit. Altius illud quidem studium, certo respectu admodum laudabile, utile, jucundum & quodammodo necessarium, hoc loco dare evolutum & vel ab ante, vel post diluvianis temporibus statim originem trahere, non est mei instituti: Cum jam proximioribus præsertim stante re Romana, quibus delitiæ ad summum erant, quidam Satyricus de suis Romanis cecernerit:

*Ingeniosa gula est. Siculo scarus equore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis*

*Eruta littoribus vendunt conchyliæ cœnas,
 Ut renouent per damna famem, jam Phasidos unda
 Orbata est avibus: mutoque in littore tantum
 Sole desertis' adspirant frondibus aure.*

*Et quantis non nistibus, quantis laboribus, sumtibus atque
 periculis ad ultimos usque terræ fines, aut si ultra quædam
 abdita, non tendit Nauplius, qua mare, qua terras rimans,
 subvertens imaque miscens summis, an adhuc quicquam
 uondum visum nec gustatum nec auditum visceribus illis
 absconditum; quo curiosis, delitiosis oculis guleque satisfaciat.
 Mihi jam non sermo erit de pretiosis quibusdam gemmis,
 lapidibus, monstriosis margaritis aliisque mirandis natura
 libus, fabrefactis, pictis atque ornatis; Gazophylacia
 magis Regum & Principum illustrantibus: nec de moribus,
 ritibus, legibus qualibuscunque, aut scientiis, aut artibus
 gentium ab ultima Thule petitis; Sed delitiosa, exotica
 hic se sistit faba, de qua nonnunquam in novellis ebuccicatur:
 Uberrimum hujus anni extitisse Fabarum Coffee proventum,
 ex eo apparet; quod Typhis noster plusquam centenis
 millibus libris appulerit. Quis non gaudio diffuatur
 delicatulus? uberiorem jam dudum exoptans harum apparatus.
 Larga illico dantur manu, nec vitæ, nec sumtatis habetur ratio.
 Et quanquam ingeniosissime profecto gule aliquid dederim,
 ne forsitan anorexia laborare incipiant ^{καταστροφικώτερον}, majusque uno sublato, subnascatur malum: summo
 tamen moderamine opus est, quanto magis exotica illa infusa
 & quidem saturatiora atque largius pota, morborum potius
 fomenta & lenocinia, quam ^{εὐρυτά} potentia existant. Placuit itaque
 Thematis Inauguralis loco hæc fabas curatius perstricare
 analytique chymica subijcere, quidve salu-*

salutare, quod exiguum sane, vel noxium gulosi potatores, in quos hæc faba maxime cuditur, sibi de his promittere queant adnectere. Annuat mihi divina gratia, quo omnia bene cedant atque feliciter.

Caput I.

De nomine Fabarum Coffee & descriptione botanica & præparandi modo.

§. I.

DE Fabis acturo Coffee & primum quidem de nomine duplici venit nostrum subjectum, generali & speciali, priori ob similitudinem leguminosi illius generis, altero ad individui distinctionem. Multæ delineantur species fabarum hinc inde à Botanicis, quas adducere longo ordine omnes, neque ad tractationem nostram, neque emolumentum quicquam adfert. Apud veteres, ut ex Dioscoride, Theophrasto aliisque videre est, celebres fuere: faba Ægyptiaca, Pontica, Arabica &c. Sub quibus & forsitan nostra Coffee latitat, quamquam varie hallucinentur Autores.

§. II.

Quidam nobiles Romani ab esu fabarum quasi quotidiano semperque grato acceptoque sortiti cognomina, ut ex Fastis ab antiquitate ad nos transmissis sic dictis Consularibus uberrime patet, quæ Criticis & Antiquariis relinquenda. Elucet ex his maxime Fabius Cunctator, Heros ille vincens Charraginenses, de quo in proverbium abiit: Pauci dantur Fabii,

A 3

bii,

bii, multi Bruti, ordine inverſo alio reſpectu noſtro ſeculo adaptandum: Multi dantur Fabii, ſine injuria dictum, nec pauci Bruti.

§. III.

Speciale illud noſtri ſubjecti nomen varie ſcribitur & exprimitur, Criticis multam crucem fixurum, omne ſi velint, explanare. Quidam enim, antequam in pulverem redactum ſit, nominandum eſſe cenſent Bunchum, Gallice Bon, quod poſterius cum noſtro Germanico Boſn aliquantiſper convenit: Alii in pulverem redacto, alia & varia nomina imponunt, nempe Caſſé, Caſé, cophé, cavé, cavet, cahué, caveah, chaube, chouna, chaona, aut cahuea. Turcæ aliique Orientales pronunciare ſolent Cahue, deſumpta origine à verbo Cahuet, robur. Verum nos in hac tam intricata diſquiſitione voce apud nos notiſſima utamur, nimirum Coffee, qui aliter loquitur ad Orientales ablegandus; ubi forſan criteria harum denominationum expiſcanda.

§. IV.

Eſt vero Coffee, notante Meisnero, cui maximam hac in re fidem dedimus, aliis libris auctoriſque, qui forſan uberiori ſtylo hanc exoticam deſcripſerunt fabarum ſpeciem, jam deſtituti, fabarum quædam ſpecies, rotunda ex una parte, & altera plana cum ſiſſura clementer incurvata in medio, coloris inter candidum & flavum ſubobſcuri: involuta duplici cortice, interiori admodum tenui, & ejuſdem coloris ac faba ipſa, exteriori vero ſub nigro & fatiſ craillo. Verum ad nos deſertur plerumque decorticatam

catum & præsertim illa species, quam nostrates vocant: *Levanter-Bohnen*.

§. V.

Arbor, cujus est fructus, similis est *Evonymo*, teste *Prospero Alpino* in tractat. de *Plant. Ægyptiac.* vel etiam nostrati *ceraso*, tum in foliis & ramis, tum in magnitudine. Frutex enim est tenuibus ramis, exiguis foliis, æqualibus, crassis & semper viridiscens, cito tamen deciduis præditus, remanente fructu, donec perfectam maturitatem assequatur.

§. VI.

Ex omnibus terræ plagis, *Arabia felix*, fabas hæc profert, unde & à quibusdam fabæ *Arabicæ* nomine non malè donatur. Nascitur absque cultura in illius vastis campis meridiem versus. Hinc collectum *Moram Loubetiam*, inque alios maris rubri portus vehitur: Mox cymbis *Geddæ* defertur maritimam *Arabie Petreæ* urbem ditionis *Cheriffi Mekæ*: illic navibus triremibusque inponitur, & ad maritimam itidem urbem *Sves*, duas & viginti leucas circiter *Cairo* distantem amandatur, quo singulis annis 25000 saccorum, quorum singuli 300. libras continent, camelis apportari solent.

§. VII.

Ortus nostrarum fabarum *Coffee*, quando nimis in usum vocarint *Orientalis*, multis fabularum involucris est intertextus. Plurimi in eo conveniunt, quod uno loco citius, quam altero innotuerit. Si vero fides historiis non deneganda: à duobus tantum circiter seculis hic potus esse incepit, quanquam &

& de hoc adhuc lis fit. Illud interim certum est; ab Arabibus primo transiisse ad Turcas, à Turcis denique ad alios populos, quin & ad nostram Germaniam. Postquam enim Sultanus Helim debellasset Ægyptum anno scilicet 1517. ubi illius usum à longo jam tempore institutum deprehenderunt Turcæ, novitate allekti primitus & has fabas inter cimelia retulerunt sua, succedente vero tempore uberiorique harum fabarum apparatu, in vulgarissimum à bireceperunt usum. Nostris vero oris quam primum innotuerint, res est incerta, quidam circiter octoaginta, nos vix triginta dinumeramus annos,

§. VIII.

Modus & tempus potandi & præparandi nostrum infusum, uti apud Orientales, ita & apud nostrates variat; quidam enim mane statim manducatis quibusdam buccellatis aliisque panibus artoptitiis, quos Futier & Quaquai vocant, iteratum craterem, quem Fingeans nominant, haurire ita tepide solent: quidam statim post cœnam unam vel alteram patinulam, conjuncta fumisuctione tabaci, sorbent: quî posterior mos nostris Germanis planè solennis. De sacharo vero, lacte vel aromatibus quibusdam, ut cinamomo, caryophyllis, cardamomis & similibus, quibus corrigere & vires exaltare svave somniant nostrates, an Orientalibus quoque in usum veniant, silent auctores.

§. IX.

Torrefaciendi modus tum Orientalium tum nostratium unus est. Accipiuntur nimirum fabæ
Coffee,

Coffee, qua minori quantitate eo melius, sartagini aeneæ, aut machinæ adaptatæ, igni carbonum probe sine flamma accenso injiciantur. Observandum vero, ut statim calefactis fabis, sedulo agitentur, donec semiuftulatæ & pingues appareant, colore castaneo & umbratili. Labore illo peracto contundendæ & in pulverem subtilissimum sunt redigendæ: Non adeo minute contusæ orientalibus placent; Gallis vero ita tenues, ut subtilissimum etiam cribrum subire queant, præsertim pauperibus, qui ita præparatas includunt thecis sternutatoriis, & nonnunquam naribus benefaciunt. Hæc in antecessum de fabis nostris delibare operæ pretium duximus, nunc ad harum anatomiam ipsam, ubi ignis & Aqua sufficiunt.

Caput II.

De Examine Chymico Fabarum Coffee.

§. I.

CAnon vulgaris est: Ex quo aliquid fit, & in quæ resolvitur, ex illis constat. Siftunt autem fabæ nostræ principia oleoso-pingua, copiosa gummatoso-mucilaginosa, multa terrestria, parcius salina acidula & alcalia fixa; id quod ex analysi sequenti inclarescit.

Experiment. I. Esto itaque primum experimentum nostri subjecti de gummatoso-mucilaginosa parte, quam præbuit libra I. pulverisatarum fabarum nondum torrefactarum adfusæ aquæ pluviali sufficiente

B

quan-

quantitate & leniter manica Hippocratis expressarum & iterum inspissatarum pendit zvj . & terræ reliquit zx circiter.

Experiment. II. Destillatione ex retorta vitrea arenæ impetravimus à libra I. fabarum nostrarum. Utus aciduli salini cum phlegmate ziii odore coffeano & sapore aliquantulum inprægnati.

Experimentum III. Eadem hac destillatione sub vehementiori ignis gradu fluxit tandem decantatum illud oleum empyreumaticum spissiusculum & tenuius summe volatile & quasi ignificum, ad quantitatem dedit libra I. zi , quod totum nostrum infusum deturpat, ut unicuique ex illius usu non poterit esse obscurum; siquidem divisione hujus quantitatis olei facta, ad zi computantur fabarum vij . gr. viij. sive gutt. 48. olei empyreumatici.

Experiment. IV. Caput mortuum sive principium terreum calcinatum præbuit paucum sal alcali fixum, utpote vix zsem . Quæ omnia quisvis inventurus, si experimenta hæc sibi sumat tentare.

V. Experimenta de fuligine, quam torrefaciendo reddunt nostræ fabæ, copia illius hic destituti, non damus; quam tamen quisque facile ex popinis illis splendidissimis (Coffee-Häusern) v. g. Lipsien. ubi per annum aliquot centenarii fabarum torrefaciuntur, impetraturus; modo experimenta juxta Dissertationem inauguralem elegantissimam D. Leutveinii de Fuligine Altdorfinae anno 1722. habitam instituat.

§. II.

De aliis nostri infusi ingredientibus, aqua nimirum, saccharo, ne post Homerum Iliada scribere videamur, adi sis Dissertationem Inauguralem de infuso Thee Doctissimam Erfordiae anno 1721. à Nobilissimo & Experientissimo Lohmeyero, Artis Medicæ Licentiatò, amico meo longe suavissimo habitam, ubi eruditè, ut solet, de iisdem disseruit.

Cap. III.

De Usu fabarum Coffèe diætetico & pharmaceutico.

§. I.

Missis hisce sectionibus Chymicis, etiam ad usum nostri subjecti diæteticum & pharmaceuticum provolamus. Ante omnia vero nos sumus persuasi, salubrius nostrum fore infusum leniter saturatum, lacte adhibito bene bulliente ob pinguedinem molliter oleosam, quod empyreumaticas & orgasticas nostri infusi particulas paululum absorbet, obtundit atque involvit; quam nuda cum aqua præparatum. Quod ad dosin, illa optima videtur, qua ad ʒj. fabarum torrefactarum lib. ij. aquæ emergit infusum.

§. II.

Mos etiam ille non est improbandus quorundam minus delitiis gulæque servientium, qui ex fabis nondum torrefactis tale decoctum vel cum vel sine lacte

parant leniter sacharatum; quod egregiam suam efficaciam involventem & nutrientem, quin & sine lacte biliosam faburram temperantem satis superque exserit, uti & nos plura de hoc paulo post.

§. III.

Sunt, qui ex mera, nescio qua opinione, vim quandam fabarum nostrarum diluentem & fluidificantem ad cœlum usque vehant; cum tamen eadem admodum annihiletur per largiorem harum fabarum commixtionem; Siquidem in tali usu incrassans potius sanguinem & deobstruens alvum efficacia in propatulo est, & exigua illa vis diluens, non ex fabis, sed ab aqua potius dependet. Vid. Celeb. Alberti Introductio in Mat. Med. p. 394. Hinc infusum Thee longe melius est scopo hoc impetrando, uti jam monuit Doctissimus Lohmeyerus in supra allegata dissertatione, nisi forsan quis oleum velit igni adfundere.

§. IV.

Probare etiam non possumus illam methodum hinc inde in libris practicis à celeberrimis etiam viris obviam, qua nimirum infusum Thee & Coffée conjunctim, quasi unum idemque diluendi & diapnoen lenem promovendi scopo, præsertim commendant in febribus. Toto cœlo differt nostrum ab infuso Thee, tum ratione ingredientium, tum effectu & crasi longe alienum, id quod paulo curatius animum advertenti satis abunde dilucescit.

§. V.

De Usu nostri infusi quod ad temperamenta & vitæ

vitæ genus, non habemus, quod multi simus; siquidem ab hoc si temperandum, pauci temperant & usus facile cedit in abusum. Interim iis, qui de temperamento phlegmatico filum trahunt, aliquis nostri infusi usus non adeo nocivus deprehenditur, deinde cholericis minor, melancholicis & sanguineis minimus. Vitæ genus sit mobile, laboriosum, diæta mollis & cibi evpepti, neque multum vini superbibendo.

§. VI.

Ad pharmaciã paucissima sunt & ne hæc quidem omnia fida & certa. In vertigine laudatur à Willifio & datur formula sequens:

Rec. rad. pœon. mar. ʒij.
 sterc. pavon, albiss. lib. β.
 ʒri albiss. ʒij.
 M. F. pulv. cochl. r. pro dof.

bis in die superbibendo haust. decoct. salviæ, rosmarini, Coffee Tinctura imprægnati; Vix credibile est, inquit, quantum ab hoc remedio jvamenæger receperit, post mensem sanus evasit.

Vix mihi credibile videtur, profecto non effecit tinctura Coffee, sit fides penes experientiam.

§. VII.

Potus assiduus Coffee nonnullis passione hysterica affectis emolumento fuit, inquit Ettmullerus, quem Purcellus sequitur.

Sed nos nemini facile auctores sumus adfectum hunc nostro infuso posse deliniri, assiduum certe usum dissuademus, uti & hoc, quod Cole refert, potum Coffée & fumifunctionem Nicotianæ ad prævendam apoplexiam multum facere; dubii erit eventus.

§. VIII.

In asthma omnium maxime certissimeque inflationem mirum in modum cicurat compescitque potio Coffée, inquit Musgrave apud D. Allen in Synopsi. univ. Medicin. p. 159. ubi plura ejusmodi farina.

§. IX.

Scopo laxandi; Rec fabarum nostrarum non torrefactarum ʒj. pulveriscentur, adde ssi parum, coquantur, percolentur; bibatur tepide, solvit alvum blande, & enema quoque constituunt cum brodio carnis paululum salito. Futile est illud assertum, quod & infusum cum aqua de torrefactis etiam hoc præstet, cum omni experientia refragetur, nisi in admodum dispositis aliquantisper dejiciat.

§. X.

Item. Rec. Fabar. Coffée ʒj.

Rad. Glycirr. ʒβ.

Aquæ simp. lib. β.

Coque & percola. Tepide ita potum in tussi humo-
roso mire prodest. Involvit materiam viscidam pri-
mis viis hærentem, & ad sreatum disponit atque fa-
cilitat, quanquam & glyzirrh. suum addat symbolum.

Caput

Caput IV.

De Abusu Fabarum Coffée.

§. I.

Magnæ utilitatis & longe dignioris considerationis in medicina est abusus disquisitio, quos scilicet vel eminus inferre vel saltem sufflaminare valet morbos. Longum esset ire per singulos vel totam pathologiam huc accersere: siquidem constat, non esse unum, non duos, non decem morbos tantum, quibus infestari possunt infusi nostri nimii amatores; sed notabiliores, sed notiores huc maxime faciunt.

§. II.

Insimul & hoc venit animadvertendum, quod directe ita fieri, non sit nostra opinio, quum contrarium doceat quotidiana & immenso numero revera admiranda experientia, quod non semper obvii sint ejusmodi adfectus, qui ex vitiis diætæ, crudis, crassis, fermentescibilibus non possent non quotidie affatim cooriri. Vid. Illustr. Stahlî Introductio general. ad praxin p. 26.

§. III.

Beneficio nempe naturæ omnino debetur, vel maxime motibus illius vitam atque sanitatem præstantibus, conservantibus, secretoriis illis & excretoriis, ne corpus nostrum magisque massa sangvineaper se ad interitum ruens, variis ingestis, esculentis & potulentis præceps reddatur.

§. IV.

§. IV.

Manet interim tamen firmum, verum atque verissimum, quod heterogenearum antea vel inconse-
tarum etiam cum levi aliqua nausea ingestarum re-
rum injurgitatio, longe majorem vim inferant æco-
nomiæ nostræ vitali, quam alia crudiora, duriora, dy-
spepta. Vid. Stahlii Theor. med. vera. p. 955.

§. V.

Non immerito huc quadrare videtur illud in
Scholis usitatum; effectus testatur de causa, Con-
queruntur nimirum nostri infusi novitii magis quam
habituales, de tremore, gravitate artuum, vigiliis, ex
usu maxime pomeridiano; hinc de quocunque tre-
mulo verba nostratum: Er hat gewiß viel Coffee ge-
trunden/ weil Er so Zittert. Dilucide patet abhorrere
nostram naturam hisce hætenus minime advetam;
unde trepidatio, sensatio quædam tremulo-gravativa,
vigiliæ, usque dum illud sibi noxium, etiam su-
pervenientibus motibus febrilibus quibusdam, & nau-
seosum convenienti via & exquisita energia elimina-
rit.

§. VI.

Non grave erit, præsertim curiosioribus notabile
quoddam exemplum ex anno 1717. quum Lipsiæ te-
nebamur studiis districti, audire, quod asserta nostra
non parum inlustrat; Apparuerat tunc temporis in-
ter amicos sub corona collectos Juvenis quidam Stu-
diosus optimæ spei, temperamenti, ut jam videbatur
cholericò-sanguinei, qui, uti eramus omnes, nondum
bene

bene initiatus atque delibutus nostro infuso, exemplo corripiebatur, haustis quatuor vel quinque crateribus saturatissimo infuso, ut ibi moris est, instructis, convulsionibus spasticis, epileptico - tremebundis, ut nos omnes attonitos quasi & casu tam præcipiti suspensos neque quid consilii, causa mali ex infuso desumpta, relinqueret. Sciscitabatur post unum vel alterum diem inter nos de eventu; ad omnia bene se habebat Juvenis studiosus, referebatque se paroxysmo remittente multa nigricantia ejecisse & malum solutum. Hincjam apposite dixit Ettmullerus: quod scilicet tremor malum morbis sit convulsivis adfines, in quo cum motu naturali & voluntario simul aliquid convulsivi concurrat; interdum quoque admodum periculosum, quoniam facile in alios graviores affectus nervinos, in paralyfin, apoplexiam, lethargum, spasmus, degeneret.

§. VII.

Facile quisque videt, tum materialem, tum formalem atrocissimi hujus mali causam atque originem, nec opus est in re tam manifesta prolixioribus deductionibus & evolutionibus immorari. Obiter notandum, quod infusum nostrum à subjectis maxime inconferetis & cum nausea potum, si non tremores, si non convulsiones, profecto vomitus producat enormes & iterum iterumque recurrentes, uti ex Observationibus quotidianis hinc inde animum advertenti liquido dilucescet.

C

§. VIII.

§. VIII.

Nimius nostri infusi usus nonnunquam ob-
structiones mensium, hæmorrhoidum causatur. ut ex
sequenti exemplo nos habemus compertum; Matro-
na quædam nobilis hic ante paucas abhinc septima-
nas annorum circiter triginta temperamenti sangvi-
neo leviter cholericæ largiori & spissiori nostri infusi
usui (vasu hortatuque quarundam fæminarum non
vilioris conditionis, indulgens, post aliquot menses
conquerebatur de doloribus circa ventriculum spa-
sticis & hypochondrium sinistrum versus punctoriis,
& frustra adhibitis stomachicis concentratoribus ma-
lum mutatur in deterius. Nos advocati deprehen-
dimus majoris quid momenti subesse, horripilatio
enim continua recurrens cum æstu quodam volatico,
pulsus magnus & frequens, & gravitas artuum atque
prostratio virium non boni ominis erant indicia. De ne-
gotio mensium prima quæstione instituta, dicebat pati-
ens ante tres septimanas uberiori & largiori infuso
coffee in summis delitiis habito evacuationem tum
mensium, tum hæmorrhoidum plane sensisse nullam.
Nos: quid? hæmorrhoidum. Unde hæ? pariens:
post primum puerperium vigesimo tertio ætatis an-
no partu sub laborioso & alvo adstricta extricasse si-
bi illas hæmorrhoides internas & cum ipso lochio-
rum fluxu continuasse. Hinc factum sit, quod de eo
tempore hac vicaria evacuatione instructa & semper
illum fluxum hæmorrhoidalem uno vel altero die
post menstrualem per tres vel duos dies observavit.
Jam

Jam vero omnia per spissum & creberrimum nostri infusi usum ad præceps mutata, nostrum sibi expetiit auxilium.

§. IX.

Ex infusi nostri introducto usu quidam purpuræ albæ originem deducunt, sive illud miasma; quomodo vero tempora ortus purpuræ, quæ ab anno 1652. observantibus eruditis Medicæ Artis Practicis, natales desumit suas, & nostri infusi usus, qui longe recentior, concilianda, ipsi viderint. Illud interim certum est, a nimio & maxime spisso nostri infusi usu sexus sequior purpuræ albæ evadit opportunior.

§. X.

Sterilitatem nostrum infusum, uti vulgo traditur, inducere, sterilis & vana est opinio, omnique rationi & experientiæ contrariatur. Apage talia.

§. XI.

Anonymus quidam Auctor, referente Meisnero, observavit, nobilissimum Lutetiæ virum pectoris quodam morbo affectum, qui potu Coffee se levatum iri putavit; At econtra ab ejus usu peripnevmonia prehensus, post paucos dies animam exhalavit.

§. XII.


Phthificos quoque præpostero ejus usu obitum suum maturasse jam adnotavit Meisnerus in Tractatu de potu Thee & Coffee p. 35. ubi & plura, quæ circa abusum observanda, lectu non indigna.


Et hæc sunt, quæ de fabis sic dictis Coffee, omis-
 sis quamplurimis, vel perperam commendatis, vel
 ex opinione magis, quam solida & experimentaliter
 scriptis, jam temporis mecum habitans, pro-
 ferre animum induxi. Ex quibus hinc inde non ob-
 scure arbitror colligi posse; earum sub infuso usum
 neque nimis appetendum, neque nimis pertimescen-
 dum, ubique sub cautela vulgari: Ne quid nimis, ad
 utrumque. Medicus quoque seculo obtemperaturus,
 difficile usui, apud bonos sanitatemque suam cordi ha-
 bentes, facile abusui imperaturus. Qui verus
 & genuinus nostræ Dissertationis scopus
 atque finis.


SOLI DEO GLORIA!











01 A 6505

7

ULB Halle 3
002 937 298





nur 10. Stck 7A-70L

bücher verknüpft

1017







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
FABIS COFFEE,
EARUMQUE
SUB INFUSO USU ET ABUSU,

QUAM
DIRIGENTE DIVINA CLEMENTIA AC GRATIA,
RECTORE UNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
*VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,*

DOMINO
**CHRISTOPHORO IGNAT.
DE GVDENVVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGUNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM.
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;
INCLYTA FACULTATE MEDICA

ALMÆ AC PER-ANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
GRATIOSÆ ANNVENTE,
PRÆSIDE

DN. D. HIERONYMO *Sudolf*
EMINENTISS. ELECT. MOGUNT. CONSIL. ET ARCHIATR. FACULT. MEDICÆ
AC PHILOS. ASSESSORE ORDINARIO, hujusdemque p. t. DECANO, n. n.
CHTMIAE ET MATHEM. PROF. PUBL.
**DNO PATRONO, PROMOTORE ET PRÆCEPTORE SUO COLEN-
DISSIMO,**

PRO LICENTIA
SUPREMOS IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA

LEGITIME CAPESSENDI
DAVID GOTTLOB HEROLD, Hertzberg-Saxo.
AUCTOR ET RESPONDENS.

DIE XVI. MARTII, ANNO MDCCCXXIV.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSUET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

